

DISSERTATIO POSTERIOR

De

LEGIONE FULMINATRI-
CE, QUATENUS IN NOTITI-

AM ΤΩΝ ΕΞΩ ΠΕΡΒΕΝΙΤ.

Qua

PLURIMUM VENERABILEIS.

D N N.

INSPECTORES,
ET QUOSCUNQUE GERÆ
SUO COMPLECITUR SINU
VIROS ERUDITISSIMOS,

M. JOHANN. FRIDERICUS Köber /
ILLUSTRIS RUTHENEI RECTOR,

Ad auscultandum benevolè

DISCEPTATIUNCULAM

De

SUCCESSIONE ET ELE-
CTIONE UTRA UTRI PRÆ-
FERENDA SIT?

Hodie, DEO dante, post sacra pomeridiana
usu hætenus recepta,

publicè, in Auditorio Superiori, instituendam.

INVITAT.

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.



Ariè judicari interdum eadem de re solet à diversis, ita ut ab aliis laudi ducatur, ab aliis vituperio maectetur, ab his in bonam, ab illis in malam vertatur partem, à nonnullis in divinis, à quibusdam in humanis causarum cunabulis quærat, & inde tanquam è latibulis protrahatur. Sive id ex imperfectione judicii humani, sive prurigine contradicendi, sive invidia & odiò, sive ignorantia denique oriatur, ac partium, inter se confligentium, studio. Hinc sanè varietas opinionum non potest non nasci, quæ si animum præoccuparunt, rem, ut est, nequaquam pervidere sinunt, sed tanquam vitro variegatò oculis objectò, secus omnia repræsentant, ac per se habent. Atque hæc Dea (a) cum ubique recipiatur in amplexus, & delicatè foveatur; ecquis mirabitur magnopere, si locum habeat Horatianum illud: (b)

--- Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia? --- --- ---

Pessimum verò illud est, quod, ut accuratè Philosophus observat, (c) δόξη ἐπεισπείσισ multique adeò opinionum suarum illecebris inescuntur, ut, quicquid sibi persvaserunt semel, id vix ac ne vix quidem evelli animis deinde patiantur. Non ibimus nunc in longinqua: diximus nuperâ occasione nonnihil de LEGIONE FULMINATRICE, eandemque extitisse olim tempore M. Aurelii Antonini Imperatoris, cum ex fide dignissimorum Patrum, tum & Profanorum librorum testimoniis evictum dedimus. De quâ re cum nonnulla restent, quæ nuper explicare non licuit; igitur nunc pergere in argumento non tralatitiò aut vili animus est. Atque hîc ante omnia dicendum erit de variis hominum opinionibus, unde miraculum illius legionis derivandum sit potissimum; & num rectè istud nominis eidem tribuatur? Quò factò, decretum est animo, de aliis adducere quædam in supplementum, quæ ab instituto nostro, & re ipsâ non planè erunt aliena. Igitur ut ordine de utroque agamus, de priori illò, nempe de origine prodigii, non eadem omnium, qui de re illâ commentati sunt & scripserunt, est sententia, sed diversa omninò, prout vel opinio vel partium studium quemlibet traxit & abripuit. Alii id magiæ tribuunt, alii

(a) Opinio enim pro Deo fingeatur, Voss. de Idol. VIII. 12. (b) l. 2. Sat. 1. (c) l. 3. de anim. c. 3.

alii pietati Imperatoris, alii Christianorum precibus & thaumaturgia. Qui inter Magos rei incunabula & ortum quaerunt, ut fieri in re incertâ solet, iterum sibi non satis constant: id quod Suidas indicat, quando ait: (d) *Julianus cognomento Theurgus, Juliani Chaldaei filius sub M. Antonino Imperatore floruit, scripsit versibus oracula Theurgica, initiatoria & alia hujus disciplinae arcana. Hunc tradunt quidam, Romanis aliquando siti laborantibus, effecisse, ut subito cogerentur nubes caliginosae, & imbrem ingentem effunderent, cum tonitribus & fulguribus crebris: idque sapientia quadam effecisse Julianum. Alii Arnuphim Aegyptium hoc miraculum edidisse tradunt. Haecenus ille Grammaticus; quem etsi non reprehendimus, quod, ex opinione aliorum, Magiae, vel Juliani, vel Arnuphis cujusdam prodigium tribuit; non possumus tamen non mirari, imò & vituperare, quod, Christianus & quidem Monachus cum extiterit Byzantinus, nec verbulo tamen efficaciam divinam aut Christianam legionis mentionem addat. Dio Cassius, postquam non sine Dei beneficio maximum imbrem cecidisse dixerat, ex ore veluti famae refert, (c) *Arnuphim magum Aegyptium, qui cum Marco fuerat, Mercurium praesertim illum, qui est in aere, aliosque demones quibusdam artibus magicis invocasse, & per eos pluviam extorsisse. Hunc verò mendacii & voluntarii quidem, in eo, quod de Arnuphi mago dictum est, arguit Xiphilinus, (f) & ex eâ quidem ratione, quod nusquam memoriae proditum sit, Marcum Imperatorem magorum societate aut prestigiis fuisse delectatum. Quae ratio Xiphilini num sufficiat, arbitrandum relinquo cuivis, qui non obtusâ est indole. Caeterum quod à Dione videmus tribui Mercurio, aëris Domino, id Pluvio Jovi imputare columna Antonini famosissima videtur; de quâ deinceps commodior erit dicendi locus: neque etiam hujus arbitror loci esse, de Diis istis, & quae his à Gentilium vanitate tributae fuerunt, viribus dispicere. Ipse verò Claudianus ut dubius est & incertus? Utris adscribat rem admirandam, Magisne an Marco, ambigit, cum sic fatur: (g)**

--- *Chaldaeae mago seu carmina ritu
Armavere Deos, seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri*

In eam tamen propendere videtur sententiam, quae secundo loco supra constituta fuit, & moribus ac pietati M. Aurelii Antonini,

A 2

Im-

(d) in Verbo. Julian. & apud. Dion. Gothofr. hist. Antiq. part. II. p. 136. (e) lib. LXXI. p. 811. ed. Leuncl. (f) l. c. ap. Dion. (g) de VI. Consul. Honorii & 248. sqq.

Imperatoris, prodigii felicitatem adscribit. Julius verò Capitolinus arrogat (b) illius precibus, quibus fulmen de cælo contra hostium machinamentum extorserit, impetratâ suis largissimâ ad sitim sedandam pluviam. Patrem confundit cum filio Themistius, (i) qui prodigium precibus & pietati Antonini Pii tribuit, quin & hunc in tabulâ quadam depictum fuisse narrat, cum imbres de cælo posceret & impetraret, milites verò exciperent galeis & poterent. (k) Itaque prior illa opinio rem portentosam Magorum potentia imputat; posterior Imperatoris ethnici precibus & pietati. Verum enim verò, Magiam quod attinet, illa mira quidem, Deo indulgente facit: sed miracula, quæ solum omnipotentem, habent auctorem, non facit. Deinde rectè argumentatur Annalium conditor: (l) *si tantam vim Romani in magis hominibus esse sentirent, ut, cum vellent, è cælo pluviam impetrarent, & in hostes fulmina intorquerent; cur, quæso, non omnibus præliis magos, qui talia præstarent, semper adhiberunt, ut eadem magicâ arte, fulmine disiectis hostibus, certum semper triumphum referrent ex hostibus?* Preces verò Antonini, hominis à verâ Dei notitiâ alieni, num impetrare cælitus imbres ad depellendam sitim, & fulmina ad delendos hostes potuerint; non præter rem in dubium vocatur. Preces piorum & fidelium, si seriæ sunt & ardentes, multum habere ponderis & momenti, certum est: Sed & hoc certum, non exaudiri divinitus, qui peccatis indulgent & fide carent. (m) Quare hoc unum nunc restat, ut (quæ tertia est de ortu miraculi sententia) piis Christianorum piorum, qui tunc stipendia sub Antonino Imperatore faciebant, precibus ac devotioni efficacissimæ, id miraculum tribuamus. Atque id ipsum est, quod ex Christianis non paucis, suo testimonio confirmant; videlicet suis Christianos precibus pluviam & fulmina impetrasse & elicuisse tanquam, & quidem non à Mercurio, quod Dio tradit, (n) nec à Jove Pluvio, ut columna innuit Antoniniana, (o) sed ab eo, qui solus veri Dei nomine & numine censendus est. Hic solus facit miracula, hic solus exaudit preces, hic solus largitur pluvias & jacet fulmina, hic solus, propter pios, & mundum sustinet, & benè quoque facit gentilibus, cæterisque, qui à religione verâ alieni sunt. Et sanè miraculum istud, de quò impræsentiarum agimus, non fuit actus gratiæ divitiæ universalis, quâ omnia

(b) in h. Vita c. XXIV. p. 84. ed. Obrecht. (i) Orat. ad Theodos. (k) Vid. Huet. Demonst. Evang. p. 57. (l) ad A. C. 176. n. VIII. (m) Joh. IX. 31. (n) l. c. lit. eo (o) Vid. Baron. l. c. n. XXVI.

omnia tuetur & gubernat, sed specialem omninò & singularem Dei bonitatem agnoscit autorem, quâ non amplectitur, nisi pios & fideles suos. (p) Neque verò est, quod quis denuo ad Chaldaeos & magos provocet cum Ælio Lampridio (q) quippe per quos id miraculi sub Antonino patratum esse crediderunt gentiles. De quo verba Historici ita habent: cum (Antoninus Heliogabalus) Marcomannis bellum inferre vellet, quod Antoninus (Philosophus) pulcherrimè profligaverat: dictum est à quibusdam, per Chaldaeos & magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni populo Romano semper devoti essent atque amici, idque factis carminibus. Neque enim dubium est, quin per Chaldaeos & Magos intelligantur hoc loco Christiani, & per carmina, eorundem preces; quod aliàs demonstratum fuit, & egregiè, hoc est, suo more confirmat erudissimus Gallus, Daniel Huetius. (r) Itaque, ut tandem dicamus, quod dicendum est; dicimus non immeritò, prodigium illud, quod recensuimus suprâ, vel miraculum, potius, non à vi Magiæ, nec pietate Antonini, nec Deastrorum potentia, sed precibus Christianorum suos sortiri natales, suum arcessere ortum. Constat hoc testimoniis Patrum, quæ ipsis non jaçantia, non libido mentiendi, nec alia vanitas expressit, sed vis efficacissima veritatis. Unde & consensum, quod attinet ipsum miraculum, meruere gentilium, quamvis subterfiant, qui ipsorum mos est, Christianorû nomen, quibus quippe mala potius omnia, quàm bona attribuere solebant. (s) Cõfirmat porrò nostrâ sententiam columna, quam dicunt, Antonini famosissima, quam Barbarico furore incensam deorsum, ac desuper fulmine tactam, jamque & jam collapsuram, Sixtus V. Pontifex, summo studio in pristinum splendorem restitui curavit. Extat cochlidis imago, quamquam Jovis effigie incrustata, cum apud Baronium expressa, (t) tum & apud Casalium (u) æneâ graphicè figurâ delineata. Accedit, quod M. Antoninus, factò isthòc miraculo, mitius de Christianis sentire cœpit, ac decreta, contra ipsos fancita, aboleri voluit. Extat illud, his quidem verbis: (u) his, qui Judaicam superstitionem (i. e. fidem Christianorum) sequantur, Divi Severus (potius Verus, ut rectè emendat Alciatus) & Antoninus honores (præcipuè Decurionatum) adipisci permisissent, sed & necessitates (i. e. tutelâs) eis imposue-

A 2

(p) Reinking. Polit. Bibl. l. 1. axiom. IX. p. 31. (q) in Heliogab. cap. IX. p. 275. (r) l. c. p. 58. (s) Vid. Jo. Bapt. Casalium de profanis & sacris veterum Ritibus part. III. p. 37. (t) l. c. n. XXIV. (u) l. c. (x) Ulpian. l. general. §. fin. ff. de Decur.

posuerunt, quæ superstitionem eorum non lederent. Multi certè ad Christianos, post perpetratum istud miraculum, respicere hanc legem, non sine causa arbitrantur; quamquam id Antonius Augustinus, vir cætera doctissimus, id in dubium vocat, libro ad Modestinum singulari. Sed de nomine, cur & an rectè dicta sit legio *fulminatrix*, nunc porro dispiciendum venit. Legionem hanc constituisse ex militibus Melitenis, iisque omnibus Christum colentibus, autor est Xiphilinus, (x) qui hanc appellationem dubio procul ab Eusebio (y) mutuò accepit. Melitinam verò hanc legionem id nominis indeptam fuisse, quod esset ex Melitinesibus, populo nempe Armeno quodam, Baronio videtur. (z) Quod ut suo relinquimus loco; ita vix assentiri possumus Ottio, qui hanc legionem sic dictam fuisse putat (aa) à Melite insulâ, ubi Paulus femina Evangelii sparserat. Nuda enim videtur allusio, quæ rem vix tangit ipsam, sed in solo hæret nomine. Fulminatricem verò eandem fuisse nuncupatam, ex nullò Gentilium scriptore, sed ex Christianis dumtaxat colligi potest ac legi. Præ cæteris Xiphilinus, scriptor ævo, quò illa acciderunt, novem seculis posterior, hoc nomen eclogis suis, quas Leunclavius vocat imperitas, primus inferuit, re gestâ cirra dubium motus, cui optimè convenire nomen istud, quod aliàs inter Romanos non inusitatum fuit, arbitrabatur. Etenim, re ipsâ enarratâ, tandem inquit, (bb) *his rebus Marcum vehementer obstupefactum, edictò Christianos honore affecisse ipsamque legionem fulminatricem appellasse.* Addit porrò: *Atq; his de rebus epistola Marci extare dicitur. Græci quidem sciunt, eam legionem fulminatricem appellari, ejusq; rei testes sunt: causam verò, cur ita appellata sit, non dicunt.* Provocat ad epistolam Marci: Sed in hac, prout hodie extat, nihil ejus invenire est. Græcos hujus rei laudat testes; Sed nullum expresse nominat. Dionem quoque in verbis præcedentibus reprehendit, quod, etsi legionis fulminatricis, in recensione earum, mentionem faciat, & quod tunc factum sit, miraculum, non ignoret; hoc tamen legioni illi non tribuat: cum certum sit, eam ex nullâ aliâ causâ (neq; enim alia circumfertur) quàm ex eâ, que in istò bellò accidit, id nomen accepisse. Unde, ut vim nominis exprimat, nec frustra fulminatricem fuisse dictam legionem, probet; recenset prolixè denuò, quidquid usu tunc venerat in bello Marcomanico. Scatere videtur multis, quæ datâ opera Monachi conficta sunt

(x) p. 811. ed. Leuncl. (y) l. V. Hist. Eccles. c. 5. (z) l. c. u. XIV. (aa) Exam. in Annal. Baron. cent. II. p. 220. (bb) l. c.

sunt ingenio, certè, quæ referuntur, falsis non unis mixta sunt; ut præclare censet *ὁ πένυ* Scaliger. (cc) Jam quod appellationem attinet, (hæc enim præcipuè nunc curæ nobis est) extra omnem dubitationis aleam hoc positum putamus esse, quod inter legiones Romanas verè fuerit, quæ nomine Fulminatricis gavisâ fuit. Dispalescit hoc cùm ex columna Capitolina, tum & duabus vetustis Inscriptionibus, ubi XII. FULM. conspicitur. (dd) Ex iisdem quoque manifestum est, Fulminatricem legionem diu antè, quàm hæc fierent, extitisse, ipsis jam Trajani temporibus, quin imò, si Onuphrio (ee) credendum, ab Augusto eandem institutam, dicendum est; quæ fortassis sic appellata sit vel, quòd fulminis in morem hostes percussisset, vel quod milites istius in scutis picta haberent fulmina: qualia in quatuor suis tabulis, venerandæ antiquitatis monumentis, in quibus expressa sint totius legionis officia, conspecta fuisse, *πολυμαθήσεται* fatetur C. Adam. Rupertus. (ff) Cum quò convenit, quod Valerius Flaccus, ut est apud Godefc. Stewechium, (gg) cecinit: (hh)

*Cuncta phalanx insigne Jovis, celataq; gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.*

Sed ab hac Duodecima Fulminatrice Romanorum legione diversam fuisse, quæ ex tam insigni miraculo nomen *περαυνοβόλα* deportavit, omninò censendum est. Probat hoc Baronius (ii) Marci Imp. literis, ex quibus constat, eum non nisi quatuor legiones tunc apud se habuisse, Primam nempe, Gemellam, Decimam & Fretensem, aliis aliò amandatis; cum ergò inter quatuor illas Duodecima seu Fulminatrix non connumeretur, sequi exinde, putat, ex novò isthoc prodigio, unì ex quatuor istis, novam accessisse appellationem, & extra ordinem *περαυνοβόλον* seu Fulminatricem fuisse dictam. Verum cùm epistolæ istius *νοθεία* & *κιβδηλία* ac novitas accuratè ab eruditissimis Viris, Scaligero (kk) & Salmasio, (ll) ostensa sit; ecquis tam Homericis est oculis, ut, quàm infirmo nitatur fundamento appellatio isthæc, non cernat? Sanè ante Xiphilinum nemo Melitinæ illi legioni nomen hoc tribuit, ut adeò recentius paullò sit; & vix ab omnibus cordatis sine dubiò admittatur, etiam si forte de re ipsâ non planè ambigant. Hæc quippe satis jam antè probata est, (mm) nec desunt alia prodigia, quæ aliis temporibus vi Christianarum precum contigerunt. Memorabile omninò est, & insigne prodigium, quod accidit, cum adversus Eugenii & Arbogasti rebellionem Theodosius, Imperator piissimus, *magis orando quàm feriendo pugnaret: cùm* (ut Augustinus (nn) loquitur) à Theodosii

(cc) ad Euseb. f. 203. (dd) Vid. Baron. l. c. n. XVIII. & XIX. (ee) lib. de Imp. Rom. p. 817
(ff) obser. in Besold. synopsis. p. 330. (gg) Comment. in Veget. p. 191. (hh) lib. VI. Argonatat.
(ii) l. c. n. XX. (kk) Animad. in Euseb. Chron. (ll) in Jul. Capit. Marc. Aurel. (mm) Disser. priore. (nn) l. V. de Civ. Dei c. 26. p. 565.



dosu partibus in adversarios vehemens ventus iret, & non solum, quicumq; in eos jaciebantur, concitatissime raperet, verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde & poeta Claudianus, quamvis à Christi nomine & cultu alienus, prodigium his descripsit versibus: (oo)

*Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulsi hastas.
O nimium dilecte DEO, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat ether,
Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Blanditur his paganus pervicax Honorio potius filio, quàm Theodosio parenti, & illius fati, quàm hujus pietati tantam rem imputare mavult: Sed ostentatio est plus quàm scurrilis, ut rectè censet doctissimus L. Vives, (pp) quin & minus necessaria, ac veritati contraria. Precibus ac pietate factum id omne, extra dubium est, & ὁμοθυμαδὸν consentiunt in eo Historici, quod Eugenius & Arbogastus à Theodosio victi sint & superati. Et quis negaverit præfractè & impie, factum esse unquã, quod de montis per fidem translatione miraculosâ pollicitus fuit Christus? (qq) Etsi enim per præcariam id dictum arbitrantur nonnulli, (rr) nihil tamen impedit, quò minus τὴ κρυολεξίαν, seu propriè loquendo, id impletum vel fuisse vel impleri saltem potuisse, adseramus. Sanè Nonnosi precibus ingentis molis saxum ad Soracte translatum, Martyrologia produnt; (ss) idemque & ab Episcopo Armenio præstitum, jubente & comminante Caliphâ Babylonio Anno MCCXXV, haud contemnendi Autores sunt, qui tradunt. (tt) Verùm memores sumus, hæc non commemorari apud τὰς ἑξῶ, quorum consensum nunc quærimus: ideoque potius ad eos denique properamus, in quorum gratiam hæc præfati fuimus. Videlicet, vos, **PLURIMUM VENERANDI DNN. INSPECTORES**, Vos item **VIRI OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI**, invitamus. quâ per est, observantiâ humanitate & amore, ut, hodie Deo clementer indulgente, H. L. Q. C. dare operam & auscultare Sympalæstritis nonnullis velitis, quibus disceptare de eo de reum est: *utrum electioni successio sit præferenda an postponenda? Successioni ergò palmam tribuet JO. FRIDERICUS Seidelman/ LIEBSCHIZENSIS VAR, electioni contra deseret primatum GEORGIUS Niethard/ SCHLEIZENSIS; controversiam vero decidere studebit pro virili ANDREAS Franck/ SCHLOEBIA-THURINGUS. Tandem in memoriam Avi sui materni, jam pridem defuncti, sed de Scholâ nostrâ & Ecclesiâ Dieschizenfi quondam non malè meriti, Viri PERQ. REVERENDI ac PRÆSTANTISSIMI DN. M. ANDRÆ AUERBACHII parentalia sacra insituet brevi oratiuncula PAULUS ANDREAS Hemman/ GERANUS. Cui ut pietus sua in Manes Avi Beatos audientiam facile concitare potest, ita non ambitiosè Vos rogaturi sumus. P. P. Geræ d. 3. Decembr. A. O. R. ∞ bc LXXXIV.*

(oo) de 3. Conf. Honor. & 93. seqq. (pp) in not. ad Aug. l. c. p 567. (qq) Matth. XVII. 20. (rr) Grot. h. l. (ss) Vid. M. Poli Synopsis Critic. in l. c. Matth. f. 416. (tt) Extat historia in Dn. D. Pfeiff. Evangel. Erquickstunden p. 350. seqq.

1604



imper
invid
se con
potef
quaq
objec
Dea (
tur; e
illud:

Pessim
(c) do
inesce
quide
ginqu
NATRI
ni Imp
norun
nonnu
perger
hic an
under
num r
est an
stituto
ne de u
gii, no
runt, e
um stu

(a)



dem de re solet à diver
catur, ab aliis vituperio
a, ab illis in malam ver
s in divinis, à quibus
a cunabulis quærat, &
rotrahatur. Sive id ex
ne contradicendi, sive
riatur, ac partium, inter
rietas opinionum non
parunt, rem, ut est, ne
vitro variegatô oculis
e habent. Atque hæc
us, & delicatè fovea
n habeat Horatianum

studiorum

Philosophus observat,
num suarum illecebris
semel, id vix ac ne vix
on ibimus nunc in lon
mil de LEGIONE FULMI
re M. Aurelii Antoni
Patrum, tum & Profana
nus. De quâ re cum
on licuit; igitur nunc
i animus est. Atque
minum opinionibus,
m fit potissimum; &
Quô factô, decretum
lementum, quæ ab in
ena. Igitur ut ordi
pe de origine prodi
entati sunt & scripse
t vel opinio vel parti
ii id magiæ tribuunt,
alii

l. 12. (b) l. 2. Sat. 1. (c)

alii
turg
fieri
Sui
Ch
The
dam
bes
creb
ptiu
que
gia
pos
& q
me
Dio
cidi
ptiu
alio
torfi
Ar
rati
mag
nun
dole
aeri
fissi
neq
Ger
rô
mir

In e
sup

(a)

